

Q. D. B. V.  
S. EVCHARISTIAE  
ORIGINEM

EX  
RITV ET FORMVLA IVDAEORVM  
PASCHALI  
REPETENDAM NON ESSE,

---

---

P R A E S I D E

D. SALOMONE DEYLINGIO,  
THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO, CAPITVLI CIZENSIS CANONI-  
CO, CONSISTORII ADSESSORE, ECCLESIAE  
HVIVS LOCI AD D. NICOLAI PASTORE, ET  
DIOECESEOS LIPSIENSIS SVPER-  
INTENDENTE,

DOMINO, PATRONO, AC PRAECEPTORE SVO,  
OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE CVLTV  
AETERNVM PROSEQVENDO,

IN ACADEMIA, QVAE LIPSIAE FLORET,

PVBLICE OSTENDET

M. IOANNES CHRISTIANVS  
MVLLERVS,

REINSDORFFIO - MISN.

---

D. XX. APRIL. MDCCXXXIV.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Coll. diss. A  
6, 20

54.  
a. XXVII. 20.

O. R. V.  
S. EVCHARISTIAE  
ORIGINEM

RTIV ET FORMAM A-TELEORVM  
PAGINA  
REPERTORIUM MON 1822

TRISTE  
D. SALOMONE DEYLINGIO  
THEOLOGICAE PROFESSORIS PABRICO  
ORDINARIO CAPITULI S. MARIS CANONICI  
CO-CONSISTORII ADESSORUM BOGENSE  
HUMANIORUM COLLEGIASTORUM  
PROFESSORIS



DOMINO PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
OMNI PIETATE ET OBSERVANTIAE CULTU  
AETERNVM PROBOVNDVS

IN ACADEMIA QVAE LIBRAE FLORET

PRINCE OSTENDIT  
M. IOANNES CHRISTIANVS  
MULLERVS

REINOLDI FID. MULLERVS  
D. XX APRIL. MDCCXXIV

IN LIPSIAE  
DE OFFICINA LANGENBACHIANA

24.



## BREVIARIUM.

*Ingens antiquitatum Hebraearum utilitas in multis S. Scripturae locis illustrandis, §. I. Earum abusus §. II. Baronii exemplo monstratus. Nominis Apostolorum origo, §. III. Sacramentum baptismi a ritibus Iudaicis multi deriuant, §. IV. Refelluntur, §. V. Origo S. Coenae ex formula et ritu paschali male deriuatur, §. VI. Notantur Baronius, §. VII. Ios. Scaliger, §. VIII. Postcoenium Iudaeorum paschale commentitium, §. IX. et X. Vanus Lud. Cappelli conatus, §. XI. Scaligeri sententia perplacuit Calixto, Mart. Ruaro, H. Hammondo, P. Allixio, I. F. Osterwaldo, Chr. Thomasio. Reiiicitur, §. XII. XIII. Alia Io. Buxtorffii coniectura modeste ab auctore proposita, sed multo audacius repetita et inculcata a Conr. Mel, §. XIV. XV. Refellitur illa perinde ac Io. Lighthfooti expositio, §. XVI. Fanatici hoc commento fulti S. Eucharistiam tanquam ceremoniam Iudaicam vilipendunt, §. XVII. Opinionis nouitas, §. XVIII. et periculum, §. XVIII. Funditus euertitur, et demonstratur, Christum in vltima coena agnum paschalem cum discipulis ne quidem comedisse. Coniecturae antiquitas. Laudantur Toynardus, Lamysus, Calmetus, §. XX. Confirmatur argumentis, §. XXI. XXII. XXIII. Ioannes cum ceteris euangelistis conciliatur, §. XXIV. Ἡ πρώτη τῶν αἰζύμων apud eos est dies XIV. Nisan, §. XXV. Verus ac genuinus verborum institutionis sensus ostenditur, §. XXVI. Munitur primitiuae ecclesiae consensu, §. XXVII. et XXVIII.*

## I.



Acrae antiquitatis studium, quo cuncta ad veram suam originem reuocantur, et linguarum orientalium notitiam non exiguum praestare usum in plurimis difficilioribus sacrarum literarum locis, recte elucidandis et illustrandis, nemo facile negabit, qui peritus et aequus est harum rerum aestimator. Nec veteres Chaldaeorum, Aegyptiorum, Persarum, Graecorumque et Romanorum mores, instituta ac ritus penitus ignorare debet oracula sacra recte feliciterque interpretaturus. Cum his enim populis Iudaei res secundas et aduersas habuerunt communes. Ab illis etiam bello petiti, victique et sub iugum missi atque in exilium deportati et excisi sunt. Profanam igitur et sacram harum gentium, ac Hebraeam imprimis historiam, nosse oportet eum, qui ad exponendas sacras Scripturas accedit, quippe quas viri diuino Spiritu afflati, et tam veteris quam nouae Oeconomiae ministri, et pacis per Christum partae nuncii, ex Hebraea gente orti, et apud eosdem diu commorati, ac Hebraeo Talmudicoque docendi et loquendi genere vsi, tanquam idiomate vernaculo, eique adfueti, diuina mysteria diuulgarunt, nec paucas epistolas ad tribules suos ἐν τῇ διασπορᾷ degentes exararunt. Quin et Seruator ipse inter Iudaeos versatus, eodemque sermonis Syro-Chaldaici idiomate vsus, veterum vatum oracula ac regni diuini mysteria exposuit viua voce, a gentis ritibus, ac loquendi formulis, ea tempestate vsitatis, et postea a magistris in digesta Talmudica relatis, nequaquam abhorruit, sed tempori et consuetudini ac moribus, quoad citra veritatis

tatis

tatis euangelicae incommodum, et aliorum offendiculum fieri potuit, per saepe sese ad commodauit. Nec minus Seruatoris legati nonnulla Iudaeorum instituta in templo et synagogis, stante republica, vsurpata, pro sua libertate in ciuitatem ecclesiasticam receperunt, et in sermonibus ac epistolis suis, facta ad cerimonias Hebraeorum allusione, respererunt. Quo et *impositio manuum*, et *Amen*, finita precatione a populo proferri solitum, ac alia non pauca referuntur. Quemadmodum igitur et *salus nostra*, siue salutis auctor Ioh. IV, 22, et sacrarum literarum pandectae a Iudaeis sunt, eorumque stilum, loquendi formas ac orationis genus, rituum sacrorum venustate varie distinctum, et vestitum, saepe repraesentant: ita nullum est dubium, quin etiam ex accuratiori Hebraei iuris, moris et sermonis noticia plurimis sacrae Scripturae locis lux adfundi possit. Quem in finem praestantissimorum virorum opera, qui in eruendis, enarrandisque Hebraearum antiquitatum ruderibus, iisdemque ad diuinorum oraculorum illustrationem applicandis, curam studiumque posuerunt, nos doctrinae nostrae alumni diligenter commendamus, nec pauca huius generis specimina in tribus sacrarum obseruationum fasciculis ipsimet dedimus.

## II.

Quemadmodum autem res optimae in abusum tractae magis nocere quam prodesse solent, ita nemo miretur, idem per saepe fieri circa hoc ipsum institutum sua laude ceteroquin non priuandum. Nonnunquam viri eruditi praeiudicatis et falsis opinionibus imbuti, ad antiquitatum monumenta eo accedunt animo, vt erroribus antea mente conceptis praesidium parent. Alii in tractando hoc argumento coeco impetu et nimis imprudenter Talmudicos et Rabbinicos sequuntur auctores, qui multa habent fabulosa, et

ab otiosis ingeniis conficta, quae illi tamen vt genuinae et pretiosae antiquitatis *κειμήλια* iactitant atque commendant. Huiusmodi igitur disputatores et rerum diuinarum tractatores, qui omnes Hebraeorum, maxime recentiorum traditiones, sine examine adoptant, dummodo suae faueant sententiae, non possunt non labi, et in graues ac foedos saepe numero induci errores.

## III.

Hoc ipsum frequenter vsu venit illustri annalium ecclesiasticorum conditori CAESARI BARONIO, qui ad annum Christi XXXII. Num. V. T. I. f. 115. munus et nomen *Apostolorum* a Christo institutum male ex veterum Hebraeorum institutis repetitum iuit. His enim perusitatum fuisse ait, vt eos nominarent *שליחין* Apostolos, qui cum summo Pontifice consulendi gratia assidue versarentur, qui et ad ipsum referrent ea, quae sunt in lege, quos etiam sibi ipsi legare consueffet, ad inspiciendas Synagogas, et componendos corrigendosque sacerdotum mores. Si tabulas et vetusta requiras monimenta fidei faciendae idonea, annalista ad EPIPHANIVM prouocat, qui contra Ebionaeos disputans in *Panario Haeresi* XXX. §. XI. f. 134. Iosephi cuiusdam meminit, Apostolatus honore ac commodis apud Iudaeos exornati. Verum insigniter allucinatur illustris annalium conditor, et insignem *ἀβλεψίαν* ac veterum rituum ignorantiam prodit. Nam EPIPHANIVS, quem laudat, loco citato non loquitur de priscis Hebraeis, et antiquo eorum more ante Christum natum vsitato, sed de quibusdam suae aetatis Iudaeis Tiberiade, et in aliis Palaestinae locis habitantibus, qui suae dispersionis caput agnouerint vocarintque *Patriarcham*. Huic adfessores quosdam fuisse adiunctos ait, qui *Apostoli* dicerentur. Hanc historiam BARONIVS manifesto errore ex seculo quarto retulit ad

ad

ad aetatem Christi, quemadmodum IS. CASAVBONVS *Exercit. XIV. §. 2. p. m. 224.* euidenter demonstraui, infeliciter impugnatus a RICH. MONTACVTIO, nescio qua de caussa BARONIVM defensoro, *in Origin. Eccles. P. II. f. 121.* Quid enim summo Pontifici stantis Reip. Iudaicae commune est cum miseris Iudaicarum reliquiarum per vniuersum orbem disperfarum praefectis, quos Alexandriae, in Syria et Asia Iudaei, propter diuturnam inter Graecos moram, graecae linguae adfueti, *Patriarchas* vocabant? Nomen igitur et institutum *Apostolorum* Seruator non ex veteris et florentis synagogae Iudaicae vsu mutuatus est, sed Iudaei potius, inualefcente per orbem religione Christiana ex κακοζηλία quadam, et felicitis ominis caussa, *Apostolorum ἀξίωμα* et titulum imitati sunt, ne qua in re ipsis Christianis viderentur inferiores.

## IV.

In eundem impegerunt lapidem viri eruditi, qui mysteriorum nostrorum origines indagaturi, ac singularem sapientiam atque eruditionem prae ceteris ostensuri, noui foederis sacramenta, et gratiae ac salutis offerendae atque conferendae media, diuinitus ordinata, ex ritibus Iudaicis arcessuerunt. Errantes H. GROTIUS sua auctoritate confirmauit, persuasus, *illas symbolicas actiones, Christi mandatum habentes, siue sacramenta, non nisi ex medio Iudaeorum vsu a Christo desumptas esse*, in epistola CCCCLIII. quae est ad IO. CORDESIVM, Canonicum Lemouicensem, et in epistolarum Grotianarum volumine Amstelodami An. 1687. edito exstat *f. 127.* Ita singillatim sacramentum initiationis nonnulli ex lotionibus Mosaicis aut Pharisaicis, ac imprimis ex baptismo profelytorum, deriuarunt, qualem ritum IO. SELDENVS *in I. N. et G. Cap. II. f. 138.* et sequ. nec non *Libro de success. P. I. Cap. XXVI. f. 92.*, et IO. BVXTORF-

TORF-

**TORREFFIVS** *Fil. in Lexico Talmudico, voce GER. f. 407. aliique, ex MISCHNA, et per celebri iuris Hebraei interprete, MAIMONIDE, ac aliis Hebraeorum magistris descripserunt.* Hac occasione viri praestantissimi instituta vnus cum altero comparatione, deprehensaque nonnulla conuenientia, eo delapsi sunt opinionis, vt baptismum Iudaicum reuera a Christo retentum, et sub Oeconomia noua continuatum, ampliore tamen virtute, et auctoritate munitum, atque in actum sacramentalem conuersum, putarent. Hoc inter primos in mentem venit Socinianis, efficaciam sacramentorum eo validius impugnaturis, quo euidentius ostenderetur, originem eorum ad ritus Iudaicos referendam esse. **H. GROTIUS**, cuius cum Iudaeorum et Socinianorum cohorte collusio nemini ignota est, haud sine applausu nouum *ἐπισημασθαι* excepit. Nam cum **MARTINVS RVARVS** *Cent. I. epist. XXXVI. p. m. 148.* scripsisset, *Christum et Apostolos ritum baptismi, homines disciplinae suae accedentes initiandi, ab exemplo Iudaeorum mutuatos esse,* **GROTIUS** proxima epistola *p. 151. edit. Zeltnerianae* eum his confirmat verbis: *De baptismo Iudaico, quae scribis, vera sunt.* Hos alii agminatim sunt secuti, maxime ex Reformatorum doctorum coetu, **SELDENVS**, **HENR. HAMMONDVS**, **HOTTINGERVS**, **LIGTFOOTVS**, **IAC. ALTINGIUS**, **GOODWINVS** et **REITZIVS** in *notis*, **CAVEVS**, **IO. BRAVNIVS**, **H. WITSIVS**, **VITRINGA**, **LEYDEKKERVS**, **HOLTZEVSIVS**, aliique. Inprimis hoc opinionis portentum ad palatum fuit **ANTONIO VAN DALEN**, per celebri Mennonitarum patrono et doctori, nec non **TREMVLLIS**, aliisque Fanaticis, qui cum **DIPPELIO** sacramentis omnem vim et auctoritatem adempturi, baptismum vanis Iudaeorum ceremoniis perlubenter adnumerarunt.

V. Nostra-



V.  
 Nostrates Theologi plerique (\*) viso portentosae opinionis periculo, et abusu, rem paullo accuratius examinarunt, et deprehensa rationum, quibus vulgo fulcitur, infirmitate, coniecturae nouitatem, quae nemini veterum per XVI secula in mentem venit vnquam, reiecerunt, et ecclesia proscripserunt. Nescitur enim, an ritus ille גרי צדק hoc est, *iustitiae profelytos* initiandi et solemniter abluedi stante templo, et Republica Iudaica, iam fuerit vsitatus, quandoquidem ipsimet opinionis auctores fatentur, natales illius ritus perincertos esse. Certe in vniuerso codice sacro nec mandatum, nec exemplum, neque vllum apud PHILONEM, aut IOSEPHVM, aut TACITVM, aut apud alium coaeuum scriptorem, de istius lotionis solemnitate et vsu testimonium vsquam occurrit. Transgressuros in Iudaeorum morem circumcidi TACITVS narrat, de initiatione autem per baptismum facienda aliter. IOSEPHVS Idumaeis, ad religionem Iudaicam adactis, circumcisionem imperatam fuisse ait, non item baptismum. Quod si huiusmodi cerimonia ante Christum natum in Iudaeorum gente iam vsitata ac peruulgata fuisset, nulla apparet ratio, quomodo occasione baptismi a Iohanne administrati Pharisei rei nouitate adeo percelli, et ad inuidiam odiumque tantopere exstimulari, aut in senatus Iudaici animis suspicio noui dogmatis, et instituti, nasci potuisset,

(\*) Ex nostris IOAN. BENEDE. CARPZOVIVS, IOAN. ANDR. DANZIVS, IOACH. HILDEBRANDVS, IO. FR. BVDDEVS et PETRVS ZORNIVS ab hac opinione non fuerunt alieni, quam tamen ita temperarunt, et declararunt, vt diuina sacramenti dignitas et origo nihil immiueretur. Sed satius et magis consultum est, priscam non fastidire simplicitatem.

tuiſſet, eum vel inſignem aliquem vatem, vel Eliam in hanc vitam reuocatum, miſſumque, aut ipſummet Meſſiam eſſe, cuius demum tempore ſalutare ablutionis ſacramentum inſtitutum iri praedixerant vates, Eſaiae XII, 3, XLIV, 3. Ezech. XXXVI, 25, et Zach. XIII, 1. Ipi haud obſcure indicant Iudaeorum proceres, huc dum nullum fuiſſe huiusmodi tinctionis et initiationis in ſuo coetu uſum. Confirmat nos Nicodemus, ad regenerationis a Chriſto iniectae, et mediante aqua peragenda mentionem, tanquam ad rem prorfus inauditam, obſtupescens. Quomodo enim tantus magiſter in Iſrael et ſenator ignorare potuiſſet ritum in ſua gente peruiſitatum, qui non poſtremam faceret religionis Iudaicae partem, et nemini non notam, cui τὴν παλιγγενεσίαν Iudaei adſcribunt? Nos multo tutius inſiſtimus ſacrarum literarum auctoritati, ubi ſacramenti baptiſmi origo et inſtitutio diſerte refertur ad Deum, qui Iohannem ad baptizandum miſit, Luc. III, 2. Ioh. I, 33, Matth. XXI, 25, Luc. VII, 30. Poſtea Chriſtus, peracto redemptionis opere in gloriam euehendus, hanc initiandi rationem, ut medium gratiae atque ſalutis confirmauit, cum e contra baptiſmus ille Iudaicus non Dei conſilium, ſed Pharifaica, ut ipſimet diſſidentes largiuntur, eſſet traditio, et inſtitutum humanum omni efficacia deſtitutum. De reliquo hanc ipſam quaestionem erudite examinauit et diſcuſſit B. D. WERNSDORFFIUS, in duabus Diſſertat. Vitembergae anno 1708 et 1710 emiſſis. Perutiliter etiam conferri poterit S. R. D. BOERNERI, Theologi huius Academiae primarii, pererudita Diſſertatio *de Ioanne πρωτοβαπτιστῇ*, ad Ioh. I, 25, Lipſiae 1729 excuſa.

## VI.

Quemadmodum viri eruditi in origine ſacramenti initiationis ex vetere ceremoniarum Iudaicarum apparatu eruen-

eruyendo operam oleumque perdiderunt, ita aequè infelici-  
ter occupati fuerunt in sacramenti confirmationis initiis ex  
ritu Iudaeorum paschali, et nescio quo postcoenio, quod  
fingunt, repetendis, rati persuasique, verba Seruatoris in  
S. eucharistiae institutione adhibita: *τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου*  
respondisse formulae veterum Iudaeorum paschali: *הַיְהוֹה  
לְחֶמֶת דַּעֲנִיָּא דִּי אַכְלוּ אֲבוֹתֵינוּ בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם*  
*hic est panis afflictionis, quem patres nostri comederunt in*  
*Aegypto.* Inter primos hanc opinionem diuulgauit CAES.  
BARONIVS T. I. *annalium ad annum Christi XXXIV.*  
*Num. XLIII. p. 155,* existimauitque, Dominum formulam  
illam paschalem, quam ex veteri Hebraeorum Rituali se de-  
scripsisse ait, seruasse, et illud effecisse, *ut nouis benedictio-*  
*nibus additis nouum institueret sacramentum, et quae in*  
*memoriam veterum beneficiorum fuerant instituta, in com-*  
*memorationem omnium praestantissimi nouiter accepti be-*  
*neficii mutarentur.*

## VII.

BARONII auctoritas perpaucos sibi conciliatura vi-  
debatur suffragatores, quia constabat, principem illum pur-  
puratum Hebraearum literarum et antiquitatum minus peri-  
tum esse. Equidem asserto vel coniecturae suae facturus  
fidem, prouocauit ad antiquum aliquem librum Iudaeorum  
ritualem, vnde ea, quae affert, exscripserit. Sed illius Ritua-  
lis nec nomen, nec auctorem, nec impressionis locum com-  
memorauit. Certe ex *Schilchan aruch*, ex *Arba turim*,  
ex MAIMONIDIS *Iad chafaka*, ex *Sepher Mizvoth*  
*gadol*, ex *Levuschim*, aut alio satis antiquo et fide digno Ri-  
tuali excerpere non potuit, quia nusquam legimus, eam for-  
mulam in conuiuio veterum Iudaeorum paschali, iisdem  
verbis, eodemque ordine, ac sensu, adhibitam fuisse, teste  
IO. BVXTORFFIO, viro erudito, et quod rei caput est,

in euoluendis veterum ac recentiorum Hebraeorum libris  
versatissimo, *Dissert. Philologico-Theol. VI. p. 292.* Dubium  
igitur est, vnde illa hauserit corraferitue Annalista.

## VIII.

Dubiae autem et sublestae BARONII fidei non  
exiguum fulcimentum supposuit auctoritas IOSEPHI  
SCALIGERI, qui in pererudito illo et illustri opere *de*  
*Emendatione temporum Libro VI. f. m. 573.* sacrae eucharis-  
tiae originem ex Iudaeorum institutis deriuaturus, dupli-  
cem in paschate commentus est coenam, primam *esus agni*,  
alteram *azymorum*, tanquam mensarum secundarum, con-  
tenditque, sacrum epulum in postcoenio illo azymorum,  
בסעודה מפסקת, quod, vt ipse interpretatur, *δειπνον ἀπολυ-  
τικόν*, coena dimissoria fuerit, a Christo institutum esse, ita vt  
Seruator iisdem penitus ritibus ac formulis vsus, coenulam  
illam ἀπολυτικὴν in suam coenam, et sacramentum N. T. agno  
paschali successurum, commutarit.

## IX.

Ab eo tempore permulti, tanti viri eruditione et au-  
toritate permoti, in hanc opinionem coeco impetu con-  
cesserunt, et hoc freti fundamento, velut certissimo et validis-  
simo, verba institutionis coenae non tam illustrarunt et expo-  
suerunt, quam foede corruerunt. Sed ex Reformatis ipsis  
IO. BVXTORFFIVS Fil. nouam hanc sententiam ac-  
curate examinavit, deprehensaque illius vanitate fortiter  
impugnauit, et proscripsit, integra Dissertatione *antea cita-  
ta.* Nam ipsum opinionis fundamentum est arenosum et  
commentitium, quia Digesta Talmudica et veterum He-  
braeorum libri rituales, quos BVXTORFFIVS dili-  
genter inspexit, eiusmodi שתים סעודות siue *duplicem*  
*illam coenam*, agni et azymorum, ac in primis סעודה מפסקת  
*conuiuium illud cessare faciens*, scilicet אוכלים *cibos*,  
quod

quod SCALIGER vertit ἀπολυτικόν, in festo Paschatis penitus ignorant. Equidem esui agni paschalis vespera paschatis praemittebatur coena vulgaris et ordinaria, in qua הגיגה *sacrificium festi sumi*, et deinceps, nocte iam fera, et על השובע *post saturitatem* demum, ac post famem conuiuorum aliis cibis iam depulsam, vt Hebraei tradunt, comedi solebat agnus. Nota est veterum regula הפסח אין נאכל אלה *agnus paschalis non comeditur, nisi post saturitatem*, hoc est, לבכור *in ipso coenae fine*, quemadmodum in veteri quodam libro rituali, eodem BVXTORFFIO teste, exponitur. Consentit vetustus canon a MAIMONIDE in Hilchot קורבן פסח *sive de ritibus sacrificii paschatis*, recitatus, לאכול בשר הפסח אכילת שובע *comedendum esse agnum paschalem stomacho cibis praemissis iam saturato*. Hallucinantur autem, qui inde duplicem comminiscuntur coenam. Vtrumque enim eduliorum genus simul adponebatur, et vnicum faciebat conuiuium. Praeterea et illi falluntur, qui comestioni agni paschalis postponunt coenam communem et vsualem, ea vsi ratione, quod amplum sodalitium, aut numerosa familia solius agni esu non potuerit satiari. Hi ordinem in vescendo obseruatum ignorant. Scire enim oportebat, Iudaeis post esum agni paschalis nihil amplius degustare licuisse, testibus MAIMONIDE, et librorum ritualium auctoribus, qui hanc allegant rationem, כרי שיאשר טעמו בפינו *vt scilicet agni paschalis sapor in ore nostro remaneat*, siue vt carnis ex agno paschali suauitas tanto diutius palato inhaereret, atque adeo diuini beneficii memoria diutius conseruaretur.

## X.

Nos igitur veterum Hebraeorum fide fulti, et rerum argumentis confirmati, postcoenium illud paschale, quod nonnulli fingunt, fabulis adnumeramus, nec nisi vnicam

agnoscimus coenam paschalem, qua absoluta, Christus sacramentum N. T. vulgo putatur instituisse. Quo verba Evangelistarum μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι referuntur. In hac sententia fuit D. HIERONYMVS, in *Commentariis ad Matth. XXVI.* his verbis eam expromens: *Postquam typicum Pascha fuit impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschae transgreditur sacramentum*, T. IV. Op. f. 128. edit. Martianaei.

## XI.

Non obstantibus tamen his aliisque rationum momentis, IOSEPHI SCALIGERI opinionem et auctoritatem vindicare voluit LVDOVICVS CAPPELLVS, Professor quondam Salmuriensis in Gallia, et Criticus audacissimus. Sed ad tuendam vindicandamque eam nihil solidi, quod examen sustineat, attulit, confutatus ab eodem BVXTORFFIO *Dissert. VII. p. 338 et 352.*

## XII.

Vehementer igitur miramur, Theologos pereruditos SCALIGERI coniecturam, nullo verae ac genuinae antiquitatis suffragio munitam, adoptare potuisse, cum tamen facile fuissent deprehensuri, si rem examinassent sine praeiudiciis, certa et manifesta veterum magistrorum testimonia illius ritus nusquam prostare. IO. LIGTFOOTVS plurimas collegit formulas, quibus veteres Hebraei in agni paschalis comestione vsi sunt. Sed nulla inter illas comparet, quae cum Scaligeriana consentiat, T. II. *Oper. f. 378.* Id tamen non impediuit, quo minus multi SCALIGERO suffragarentur, eo ipso reconditae eruditionis indicium prodituri. Ex nostris GEORG. CALIXTVS in *Quatuor Evangeliorum scriptorum Concordia L. VI. Cap. 1. p. m. 321,* adplaudit, et Scaligerianam opinionem incunctanter adoptavit.

optavit. Ambabus etiam, quod aiunt, manibus eam amplexus et exosculatus est MARTINVS RVARVS *Epist. Cent. I. num. XXXVI. p. 148. edit. Zeltnerianae*, vbi putat, Seruatorem in institutione solemnī τῆς εὐχαριστίας ritum Iudaeis vsitatum, quamuis lege non praeceptum, imitatum esse. Laudat IVNIUM et TREMELLIVM atque BEZAM, quos sibi in hac sententia praeiuisse ait. Certe plerisque Reformatae ecclesiae doctoribus, suae hypothese inferuituris, opinionis nouitas, venerandae antiquitatis specie vestita, perplacuit. Laudat eam et probat THEOD. BEZA in *Notis ad Matth. XXVI, 26, f. m. 87. edit. Cantabrig.* Idem fecit HENR. HAMMONDVS ad eundem Matthaei locum f. m. 114. (\*) Eandem suam fecerunt et commendarunt duumviri praestantissimi PETRVS ALLIXIVS (\*\*) et I. F. OSTERWALDVS. (\*\*\*) Res  
omnis

(\*) Voces, τοῦτο ἐστὶ, vel integra formula: τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, videntur a Christo substitutae paschali formulae, הַחֶמֶת דְּעֵבֶר הַזֶּה הוּא לֶחֶם אֲפִיקֹמִים, hic est panis afflictionis, quem patres nostri comederunt in Aegypto. Vel: hic est azymus panis, vel hoc est pascha etc. Quibus verbis manifestum est, non signari eundem numero panem, quem Israelitae comederant in Aegypto, sed tantum panem fractum in commemorationem seruitutis et liberationis Aegyptiacae, celebrationemque annui festi, quod in Aegypto institutum fuerat.

(\*\*) P. ALLIX in *Reflexions sur les livres de l'écriture sainte pour établir la vérité de la Religion Chrétienne à Amsterdam 1689. 8. T. II. p. 189. et 190*: On sçait, que les sacremens du Bâteme, et de l'Eucharistie sont dans leur origine des ceremonies Iudaiques, dont Iesus Christ a fait une application tres peu differente à d'autres sujets beaucoup plus importants. L'Eucharistie étoit un appendice de la fete de Pâque, qui conservoit la memoire des persecutions, qu'Israel souffrit en Egypte, et de la liberté, que Dieu leur accorda en punissant les Egyptiens. Cette cercmonie perpetuoit la memoire de cette delivrance jusqu'à ce, que le Messie fut arrivé. Iesus Christ a substitué à cette  
image

omnis redit eo, Christum Iudaeorum ritum paschalem formulasque secutum, sacrae eucharistiae sacramentum instituisse, cuius genuinus sensus non aliunde sit repetendus, quam ex ritualibus Hebraeorum libris et loquendi modis. Quo ipso id commodi sibi videntur consecuti, ut praesentia corporis et sanguinis Christi realis, perinde ac monstruosum illud Pontificiae μεταστώσεως commentum funditus evertatur. Quo incertior est opinio, quae adfertur, eo maiori asseueratione et fiducia, quin et audacia ac impudentia, viris tam eruditis indigna, propugnatur. Nobis certum et exploratum est, coenam illam, in qua Christus sacrae eucharistiae sacramentum instituit, cum coena paschali, aut eius postcoenio, quale fingunt, nihil commune habuisse, sed diuersissimam fuisse. Nulla igitur ratione consentaneum est, Seruatorem in epuli mystici institutione coenae paschalis formulas adhibuisse. Vt res ipsa noua et inusitata fuit, ita nullum est dubium, sapientissimum sacramenti auctorem

*image de la malediction de Dieu contre la posterité de Cham l'idée de sa mort, qu' il vouloit, que l'on considerat comme la mort du veritable agneau, qui ôte les pechés du monde.*

(\*\*\*) I. F. OSTERWALD *Catechisme, ou Instruction dans la religion Chretienne* p. m. 276. et 277: Pour bien entendre, ce que c'est la Cene, il faut scavoit ce que les Juifs avoient accoutumé de faire lorsque ils celebrent la Paque. Ils mangeoient un agneau, qu' ils avoient immolé suivant l'ordonnance de Dieu. Le pere de famille prenoit du pain; et il en distribuoit à tous ceux, qui étoient presens, en leur disant, c' est ici le pain d' affliction, que nos peres ont mangé en Egypte. Il prenoit aussi la coupe, et il en faisoit boire à toute la famille. Et tout cela se faisoit en memoire de la delivrance, que Dieu avoit accordée à leurs Peres en les retirant d' Egypte. Ibidem p. 277. quaeritur: Qu' est ce donc, que Jesus Christ fit en instituant la S. Cene? Et respondetur: Il fit ce que les Juifs avoient accoutumé de faire dans le souper de la Paque.



ctorem nouis etiam et huc dum nondum vsitatis verbis vsum esse.

## XIII.

Non obstantibus his aliisque dubitandi rationibus haec opinio eruditae nouitatis specie commendabilis, et Reformatis pergrata, perplacuit Viro percelebri CHRISTIANO THOMASIO in CAUTELIS suis *P. I. Cap. XIX. §. 17. p. 325.* vbi narrat, se forte fortuna incidisse in IOHANNIS DE HISPANIA, Theologi Galli Reformati Opuscula, et in iis inuenisse tractatulum *de Manducatione corporis Christi*, qui vel ideo placuerit, quod obseruarit, auctorem, omissis controuersis scholasticis, ex antiquitatibus Iudaicis institutionem S. Coenae eleganter explicasse, et ostendisse, loco paschalis formulae: *Hic est panis afflictionis, quem maiores nostri in Aegypto comederunt etc.* Christum substituisse illam: *Hoc est corpus meum*, *T. I. Op. p. 279.* Hoc inuentum omni applausu dignum esse opinatur. *Ex illa enim explicatione controuersiam inter nos et Reformatos de sensu verborum coenae ita euidenter definiri, vt credat, si ista historia antiquitatum Iudaicarum tempore LUTHERI et ZWINGLII nota fuisset, litem de sensu verborum coenae ortam facillime potuisse componi.* Sed vir summus ipse fatetur, se nescire, vnde illae antiquitates Iudaicae sint haustae? Apud LIGTFOOTVM certe huiusmodi formulam non legi. Recte. Nam antiquitates, ornandis, et fucis obducendis erroribus inferuiturae, facilius finguntur, quam ex idoneis veterum monumentis demonstrantur.

## XIV.

IO. BVXTORFFIO post visam ostensamque Scaligerianae opinionis vanitatem alia coniectura in mentem venit. Veteres Hebraei agnum rite praeparatum et  
 C assatum

assatum ac in coena paschali conuiuis adpositum adpellasse leguntur גופו של פסח *corpus paschatis*, in Mischnico Tractatu פסחי *sive de Paschate, capite ultimo §. 3.* apud SVRENHVSIVM T. II. f. 173, et apud MAIMONIDEM in Tr. חמץ ומצה sub initium *capitis octavi*, quo veteres coenae paschalis ritus apud Iudaeos exponuntur, et quod laudatus BVXTORFFIVS suis *Dissertationibus de Coena Domini* cum versione latina subiecit p. 392 גופו של כבש הפסח *corpus agni paschalis*. Haec observatio viro erudito coniectandi suppeditavit occasionem l. c. §. XXV. Christum forte ad hanc veterum formulam in illis verbis, quibus s. eucharistiam instituit, respexisse, allusisse, et dicere quasi voluisse: *Ecce modo maclastis, et comedistis גופו של כבש הפסח corpus agni paschalis, tanquam memoriale liberationis Aegyptiacae, et typum corporis mei pro vobis in mortem tradendi. Sed nunc agnum paschalem, et corpus illius abrogatum volo, et pane isto mediante, exhibeo vobis גופי corpus meum, agno illo typico figuratum, quod iam pro vobis in mortem tradi debet.*

## XV.

Nos fatemur hanc viri doctissimi coniecturam maiorem prae se ferre speciem verisimilitudinis, quam Scaligerianae opinioni inest. Laudari etiam BVXTORFFII modestia debet, qui, etsi suspicatus est, Seruatorem in s. coenae institutione ad illam loquendi formulam respexisse, et modum loquendi inde petiisse, rem tamen in medio reliquit. Sed ea modestia alii non sunt vfi ex Reformatorum coetu doctores, qui sanae et orthodoxae doctrinae perniciosas insidias struxerunt. Prodeat in medium CONRADVS MEL, Inspector ecclesiarum principatus Hersfeldensis in Hassia, qui antiquitatum Hebraearum vsum in refer-

fellen-

fellendis aduerfariis oftenfurus, exempli loco adfert verba  
 S. Coenae, *HOC EST CORPVS MEVM*, quae  
 rectius explicari non poffe putat, quam ex antiquitate.  
 Inde enim controuerfiam hanc clariffime decidi poffe, au-  
 dacter dicit, *ita vt fensus verus verborum Christi fe mani-  
 feflet ad confcientias talium, qui praeiudiciis non funt im-  
 buti.* Supponit, Christum, cum haec verba loqueretur,  
 cum Iudaeis verfatum et collocutum effe, tali lingua et  
 phrafibus, vt, quid vellet, perciperetur. Quando Iudaei  
 pascha comedebant, eorum filios quaefiuiffe putat, **מ  
 ה** *quid hoc est?* id est, interprete auctore nostro, *quid  
 nam id, quod comederent, significaret?* Et tunc patrem fa-  
 milias respondiffe **זה גוף של פסח** *hoc est corpus agni,  
 quem patres nostri comederunt in Aegypto.* Neminem  
 autem eo tempore tam stupidum fuiffe, qui haec verba fen-  
 fu proprio caperet, quasi iste agnus, qui Hierofolymis come-  
 debatur, effet corpus illius agni, quem comederint patres  
 illorum in Aegypto; sed omnes intellexiffe, *quod significa-  
 ret, et in memoriam reuocaret agnum paschalem in Aegy-  
 pto maclatum.* Quibus praemiffis auctor, quasi sacro illi  
 fodalitio ipfe interfuiffet, omni adfeueratione confirmat, et  
 nos certos effe iubet, adhibuiffe Saluatorem fimilem plane  
 phrafeologiam, cum loco paschatis institueret f. coenam.  
 Docuiffe enim, *quod tali modo panis effet suum corpus,  
 prout agnus paschalis Hierofolymis maclatus fuerit cor-  
 pus agni in Aegypto maclati, fcilicet signum corporis fui  
 iam iam propter peccata mundi offerendi.* Et comedere  
 corpus Christi nihil effe aliud, quam in Christum credere.  
 Ex hoc fundamento 1. Cor. X, 3. 4. dici, quod patres V. T.  
 eundem nobiscum comederint cibum spiritualem, et bibe-  
 rint eundem potum spiritualem. Haec CONRADVS  
 MEL habet in *Antiquario sacro Sect. III. cap. 1. §. 4. p. 34.*

Quae omnia auctor ille audacter satis, sed minus vere et adcommodate attulit. Neque enim ritum ipsum et eum loquendi modum probare, ac multo minus demonstrare potuit, Christum formulas illas paschales in sacrae Coenae institutione retinuisse, et secundum illarum sensum exponi voluisse.

## XVI.

Interea facile apparet, quo hoc doctorum virorum studium de verbis S. Coenae ex formulis et ritibus paschalibus illustrandis et explicandis, sit euasurum, et quid intendant veritatis hostes. Equidem CONR. MEL, cuius sententiam recitauimus, impugnat Pontificiorum *transsubstantiationem*, sed tacite et oblique nostram etiam confodit doctrinam, praesentiam corporis et sanguinis Christi realem in hoc sacramento euerfurus. Huiusmodi insidiae ex Iudaeorum paschate petitae, nisi animaduertantur, et euitentur, certum veritati exitium videntur allaturae. *Christum enim dicere voluisse aiunt verbis: τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου, HOC IAM EST CORPUS MEVM, eo sensu, quo extitit agnus Paschalis corpus meum hucusque. ET HOC EST SANGVIS MEVS N. T. eodem sensu, quo sanguis taurorum et hircorum fuit sanguis meus sub Veteri T. Exod. XXIV. Hebr. IX. secundum IOAN. LIGHTFOOTVM T. II. Op. f. 379. Sed scire vellem, vbinam agnus paschalis in V. T. vel dictus vel reputatus fuerit ipsum Messiae corpus et sanguis taurorum ipse Messiae sanguis? Aliud est typus et aliud antitypus. Aliud figura et σκιά τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ac aliud est τὸ σῶμα et res ipsa Ebr. X, 1. Unde etiam probabitur, hunc sensum relatiuum, et repraesentatiuum verbis institutionis coenae subesse, et commentitiam hanc expositionem, cum sensu a Christo intento, consentire?*

## XVII.

## XVII.

Nouam hanc verba S. Coenae interpretandi rationem percupide amplexi sunt fanatici, et nouatores, quibus haec opinio vti ad Baptismi, sic et ad S. Eucharistiae diuinam auctoritatem, vim et efficaciam euertendam, peridonea atque adcommodata visa est. Hocce nouo inuento fulti negare ausi sunt, S. Coenam veri nominis sacramentum, aut idcirco a Christo institutam esse, vt perpetuum gratiae conferendae et obsignandae medium esset. Debere enim ceremoniis Iudaicis adnumerari. Ex instituto hoc egit fanaticus ille Bremensis THEODORVS SCHERMERS, editis sub finem superioris seculi *observationibus de S. Coena*. In ea charta, duabus plagulis constante, et patrio sermone tecto nomine primum edita, ac decimo huius seculi anno, non sine piorum offensione, ne scilicet noua et repetita fanatae petulantiae exempla deessent, recusa, (\*) auctor ritus Iudaeorum paschales ex Reformatis doctoribus descriptos, enarrat, negatque, Seruatori nostro vnquam in mentem venisse sacro illo epulo, more Iudaico celebrato, instituere N. T. sacramentum. Cum enim apud Hebraeos veteres vsitatum esset, vt post agni paschalis comestionem panem azymum apponerent, quem pater familias hac vsus formula: *Hic est panis afflictionis, quem*

C 3

come-

(\*) Titulus libelli est: Einige wohl dienende Anmerkungen vom so genannten h. Abendmahl, in unpartheyischer Liebe für Gott denen Freunden der Wahrheit mitgetheilet, durch dero Treuwilligen Schuldner, Germania MDCCX. Auctor est Theodorus Schermers literis initialibus subindicatus. Amici veritatis, quorum caussa exitiosum hoc schediafma iterum diuulgauit, sunt nostri temporis fanatici, perpetui verbi in publico coetu praedicati, et sacramentorum contemptores. Vid. *Relationes veteres et nouae* A. 1707. p. 831.

*comederunt patres nostri in Aegypto*, inter conuiuas cum poculo consecrato distribuerit; nouator noster in eam concedit opinionem, Seruatorem morem receptum fecutum esse, hoc dumtaxat discrimine, vt discipulos mone- ret, nunc illis de imminente Christi morte, quam agni pa- schalis maectatio repraesentauerit, cogitandum esse. In posterum etiam agnum paschalem comesturi non amplius panem afflictionis Aegyptiacae, sed Christi cruci adfixi sup- plicium in memoriam sibi reuocarent. Idem facerent siue pranderent, siue coenarent. Quando Seruator addiderit: *Hoc facite in mei commemorationem*, monet, id mandatum non extendi posse ad omnes Christianos, ac multo minus ad gentes Christo vindicandas, sed pertinuisse ad solos Christi discipulos eo tempore praesentes, quos ritu illo ad perpeffio- nis et mortis suae meditationem voluerit excitare. Corinthiis equidem in eum morem ingressis, idem aliquamdiu per con- niuentiam permissum fuisse. Hodierno autem tempore, eam ceremoniam Iudaicam, vtpote omni operandi virtute cassam, impune non tantum omitti, sed et penitus abrogari posse.

## XVIII.

Refellit impias fanatici nugas vniuersa ecclesia primi- tiua, quae, ipso aduersario non diffitente, palam diffensit, et S. Eucharistiae sacramentum non pro inani ritu Iudaico, cum ipsa Synagoga, ac cetero ceremoniarum Iudaicarum appara- tu, sepeliendo, abolendoque, habuit, sed vt medium gratiae diuinitus in perpetuum vsum institutum, ἀρχαίς ἔαν ἔλθῃ scil. ὁ Κύριος I. Corinth. XI, 26, descripsit, et omnibus Christi fidelibus diligentissime commendauit, vsurpauitque. Refellit illud commentum Apostolus, I. Cor. XI, 25. ac ipse Seruator, calicem discipulis porrectum vocans τὸ τῆς καινῆς διαθήκης αἵμα, sanguinem noui Testamenti Matth. XXVI, 28, manifesto indi- cio et argumento, illud institutum non ad solos discipulos, eo

tem-

tempore cum Christo mensae accumbentes, sed ad omnes omnino Christianos spectasse. Negat Apostolus S. Coenam in Corinthiaca ecclesia celebrari solitam ritum esse Iudaicum ex indulgentia aliquantisper tolerandum, sed commonefacturus eos, ut recte praeparati, poenitentes et credentes, cum modestia accedant, id in primis vrget, institutum a Domino acceptum, commendatumque, et Corinthiis traditum esse 1. Cor. XI, 23, ut omnes eo tanquam medio gratiae diuinitus constituto digne vterentur.

## XVIII.

Inde satis apparet, valde periculofum esse diuina mysteria ex Iudaicis cerimoniis deriuare velle. Huiusmodi enim opinio, animo intimius infixata, homines vel ad *Zwinglianismum*, vel ad *fanaticismum* abducere, ac hypocritas nostros in huius sacramenti contemptu valde confirmare potest. Habui meae dioeceseos pastorem, qui in scholis, tenera adhuc aetate, praeceptorum imprudentia hanc opinionem imbibit, et adultior factus, ac sacro muneri tandem admotus, Reformatis palam adplaudit, certus confirmatusque, dum rectiora edoceretur, in sacra eucharistia verum Christi corpus et sanguinem in, cum et sub pane non exhiberi, et ore sumi, sed tantum secundum sensum veteris formulae paschalis significari, et sacris conuiuiis in memoriam reuocari, ac fide applicari.

## XX.

Nos fabulae vanitatem omnium oculis exposituri, eamque penitus euerfuri, ostendemus, Christum, in vltima illa coena, qua sacramentum eucharistiae instituit, ne agnum quidem paschalem cum suis discipulis comedisse, adeoque ad ceremoniam et formulam paschalem alludere, vel eam vsurpare non potuisse, sed condidisse rem nouam, et huc dum prorsus inusitatam. Multis equidem sententia nostra videbitur noua, et huc dum inaudita, ac Scrip-  
ptaris

pturis aduerfa. Sed hos ipsos rogatos velim, vt antea rem accurate examinent, quam praeceps iudicium ferant. Nec opinio adeo noua est, ac vulgo putatur. Nonnulli graecae ecclesiae antiftites dudum statuerunt, Iesum anno vltimo et emortuali pascha legale omnino non celebrasse. Hanc Graecorum mentem declarauit GEORG. CEDRENVS in *Compendio Histor. f. 175. edit. Parisiensis, et Venetae f. 139.* docens, Dominum, Iudaico paschate omnino praetermisso, τὸ μουσικὸν δειπνον tantum peregrisse, ac nouum instituisse pro vetere. Ex antiquis doctoribus planissime hanc sententiam exposuit PETRVS, Alexandrinus Praeful, Θεῖον ἐπισκόπων χεῖμα, diuinum Episcoporum decus, cum ob totius vitae sanctimoniam, tum ob studium ac peritiam scripturarum, EVSEBIO H. E. L. IX. cap. VI. adpellatus, et sub MAXIMINO tyranno martyrii corona redimitus. Id apparet ex egregio illo fragmento, quod IS. CASAVBONVS a graeco mercatore nactus est, et suis Exercitationibus inseruit, XVI. num. XII. p. m. 333. (\*) Suffragan-

(\*) Ἐν ᾧ καιρῷ ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν κατὰ σάρκα ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστός, τὸ κατὰ νόμον οὐκ ἔφαγε πάσχα· ἀλλ' ὡς ἔφην, αὐτός, ὡς ἀληθὴς ἀμνός, ἐθύθη ὑπὲρ ἡμῶν ἐν τῇ τοῦ σκιώδους πάσχα ἑορτῇ, ἐν ἡμέρᾳ παρασκευῆς, τῇ ἰδ τοῦ πρώτου μηνὸς τῆς σελήνης, h. e. *Eo tempore, quo pro nobis passus est secundum carnem Dominus noster et Deus Iesus Christus, pascha legale non comedit: sed, vt dixi, ipse tanquam verus agnus oblatus est pro nobis in umbratilis paschatis festo, in die parasceues, die XIV. primi mensis lunaris.* Eandem PETRI ALEXANDRINI sententiam recitat auctor *Chronici Paschalis in Praefatione* statim sub initium f. 5. edit. Paris. ὁ Σωτὴρ οὐκ ἔφαγε τὸν ἀμνόν· ἀλλ' αὐτός ἔπαθεν, ὡς ἀληθινὸς ἀμνός ἐν τῇ τοῦ πάσχα ἑορτῇ, *Seruator in vltimo videlicet festo Paschali, quod σαυρωσίμιον dicitur, non comedit agnum, sed ipse passus est, vt verus agnus, in Paschali festiuitate.* - - *Isto igitur die, quo Iudaei manducaturi erant Pascha, crucifixus est Dominus noster, et Saluator Iesus Christus, hostia factus iis, qui sumturi erant fidei secundum illum mysterium.*



fragantur duo Anonymi, in *Excerptis Photianis*, Codice CXV, et CXVI. Vterque negat Seruatorem, ipsam paschatis Iudaici veritatem exhibiturum, et pro nobis loco agni paschalis maectandum, τὸ νομικὸν πάσχα comedisse. (\*) Μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρὸν, ἀλλὰ τῇ ἐπίση, neque enim fuisse tunc legitimum tempus, sed sequente demum die. Idem veri visum est simile IOANNI PHILOPONO apud Cel. FABRICIUM *Biblioth. Graecae* L. V. C. 37. §. IV. p. 362. Hanc veterum Graecorum opinionem a CAES. BARONIO, et aliis Latinis explosam, non ita pridem diligenter examinarunt, emendarunt, et adoptarunt, ac idoneis argumentis ex fiderali scientia et doctrina temporum, veterisque ecclesiae ritibus, desumptis, confirmarunt viri praestantissimi NIC. TOYNARDVS in *Harmonia Evangelica* post eius mortem in lucem edita f. 107, et in *Notis ad illam* f. 149, nec non BERNARD. LAMYVS, qui in *Harmonia sua*, et aliis scriptis contra NANVM TILLEMONTIVM, IO. HARDVINVM, (\*\*) Patrem MALEDICTVM (\*\*\*) Presbyterum Oratorii, aliosque vulgaris sententiae patronos editis, solide eruditeque eam defendit. Legatur LAMYI *Traité Historique de l'ancienne Paque des Juifs à Paris*

(\*) Τῇ ἀγίᾳ πέμπτῃ μὴ τὸ νομικὸν Φαγεῖν πάσχα τὸν Κύριον, Dominum nostrum Iesum Christum sacro die quinto legale pascha siue Iudaicum, non comedisse, sed ἰδίου μυσικὸν δεῖπνον, coenam suam mysticam, quia non dicatur praeparasse agnum, neque panem azymum, neque aliud quidquam eorum, quae ad eam solemnitatem requirebantur, f. 291. edit. Andr. Schotti.

(\*\*) IO. HARDVINI Diss. de supremo Christi paschate exstat in *Operibus eius Selectis Amstelodami editis* f. 371.

(\*\*\*) Videatur le Pere MAVDVIT *Analyse de l'Evangile selon l'Ordre Historique de la Concorde* P. IV. Cap. CXXVIII p. m. 5. et adiectae Dissertationes, Num. XXIX. et XXX. vbi LAMYI opinionem, prolixè refellere, et vulgarem sententiam confirmare voluit.

*Paris 1693. 8. et DV PIN T. XIX. Bibliothegu. f. 126. Eandem sententiam propugnandam sibi sumsit nouus S. Scripturae elucidator, et insigne familiae Benedictinae in Gallia decus, AVG. CALMETVS in Commentario ad Euangelistas, praecipue autem in Dissert. de la derniere Paque de Jesus Christ. In hac opinione, olim iam prodita, nos etiamnum validis muniti, confirmatique rationum momentis, persequimur.*

## XXI.

In Euangelica historia nusquam dicitur, Christum cum discipulis agnum paschalem comedisse. Et quamuis voluisset, tamen non potuisset eo legi conformiter vesci, furore hostium, qui ante festum paschale manus violentas ei iniecerunt, impeditus. Vltimam suam coenam Seruator instruxit *πρὸ τῆς ἑορτῆς, ante festum paschatis*, h. e. ante XV Nisan Ioh. XIII, 1, quo tempore necessaria ad festum adhuc emenda erant v. 29. Si vltima Christi coena Pascha *θύσιμον* et legale fuit, agnus paschalis ab eo tanquam patrefamilias debuit immolari in templo. Comedi enim non poterat, nisi in templo rite maectatus, post adipem in altari concrematum, et post sanguinem iuxta altare sparsum, et eo quidem tempore, quo idem ab vniuersa gente fiebat. Nulli enim hominum, quantacunque esset dignitate, licebat agnum paschalem alio loco aut die maectare, quam qui lege, aut Syne-drii auctoritate definitus erat, et ab vniuersa gente obseruabatur. Seruatorem autem nequaquam sacrificasse agnum, vel hinc abunde patet, quod vespera demum diei Iouis in urbem venit, et continuo, vt domum et conclaue intrauit, accubuit. Abfuit igitur ab vltima Christi coena agnus paschalis, qui azymum requirebat panem. *Ἐνζυμον* autem et fermentatum panem ea coena adhibitum fuisse, probat perantiquus et perpetuus panis fermentati vsus in S. eucharistia, quem

quem

quem morem a Christi institutione veteres semper repetiere. Neque ipsa ecclesia Latina olim ab usu panis fermentati abhorruit, quem in S. coenae administratione inde a suis cunabulis usque ad seculum decimum, quo demum tempore, erumpente sub LEONE IX, et Praefule Cpolitano MICHAELE, diffensione, azyma in ecclesiam Latinam coeperunt introduci. Rem fassi sunt IACOBVS SIRMONDVS in Disquisitione *de Azymo, quae T. III. variorum eius opusculorum* exstat p. m. 94, et IO. BONA L. 1. *Liturgicorum Cap. XXIII*, frustra obnitente IO. MABILLONIO in *Praefatione Partis I. Sec. III. Benedictin. §. XLIV. f. 45*, nec non in *Dissertatione peculiari de Azymo et fermentato*, contra quem videatur AVGVST. CALMETI *Dissertatio antea laudata p. 159*. Idem fuit HIERON. VECCHIETI institutum, qui in libro perraro Augustae Vindelicum A. 1621. in fol. impensis auctoris excuso, *De anno primitiuo ab exordio mundi ad annum Iulianum accommodato, et de sacrorum temporum ratione* probauit, Christum in vltima sua coena pane azymo non esse usum, nec pascha edisse. (\*) Ob quam opinionem, Romanae ecclesiae exosam, illius liber ad ignem, ipse autem auctor ad carcerem damnatus est, vt refert DV PIN Tom. XVII. *Biblioth. p. 8*. nec non T. XIX. p. 133. et IANVS NICIVS ERYTHRAEVVS P. I. *Pinacothecae p. 196*. Olim in S. eucharistiae celebratione panem usitatum adhibitum fuisse, auctor libri *de Sacramentis*, qui seculo post Christum natum septimo vel octauo vixisse censetur, diserte fatetur. Hoc sensu veteris ecclesiae doctores panem eucharisticum frequenter adpellarunt *fermentum*. vid. IAC. BASNAGIVS in *Praefat. ad Thesaurum monumentorum ecclesiasticorum T. I. Cap. VII. §. 6. f. 75*.

D 2

XXII.

(\*) Vide Libri IV. Cap. XXXV et XXXVIII f. 43 et 44.

## XXII.

Huic sententiae non exiguum pondus addit peruetus traditio, ab ipso Christianae religionis exordio repetenda, qua Iudaeorum proceres, *feria quarta* hebdomadae *σαυρωσίμου*, siue *die Mercurii*, de Iesu Nazareno e viuis tollendo deliberasse, et certum consilium cepisse dicuntur. Hanc diem veteres solemni celebrarunt ieiunio, quod a scelere Iudae, et crudeli hostium decreto arcessiuerunt, qui τῇ τετραδί τοῦ σαββάτου, *quarta feria decreuerint τῷ σαυρωσῶ ἀνελεῖν αὐτόν*, *cruce eum interimere*, L. V. *Constitut. Apostol. Cap. XIV. f. 316.* Et *Cap. XV. f. 319*, aiunt, Christum *in quarta feria* iussisse ieiunare, *διὰ τὴν προδοσίαν propter proditionem*, et *feria sexta* διὰ τὸ πάθος, *propter passionem*. Conferantur notae **COTELERII** *ad h. l.* qui obseruat, veteres tam Graecos quam Latinos, ieiunium *quartae* et *sextae feriae*, aut dierum Mercurii et Veneris, nec non rationem illius ieiunii a crudeli consilio, decretoque Iudaeorum, ac Iudae perfidia repetiisse. Vide Concilia ab **HARDVINO** edita, vbi *T. I. f. 235. canone XV PETRI ALEXANDRINI* eadem continentur. Hae insidiae Seruatori die Mercurii structae, hoc est, δύο ἡμέρας *biduum* ante pascha Matth. XXVI, 2. 3. et Marci XIV, 1. 2, nos facile inducunt, vt credamus, tempus paschale antea non cepisse initium, quam integrum *biduum*, a fine, seu vespera quartae feriae computandum, finitum esset. Tempus igitur agni paschalis legitime immolandi eo anno incidit in *feriam sextam*, quae Seruatori emortalis fuit, et in illam vesperam, qua Christus ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ portans humani generis peccata, in cruce immolatus, exspiravit. Nam ἔχρην κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν καὶ ὥραν, τότε τυπικὸν πάθος, καὶ τὸ ἀληθὲς ἐπιτελεσθῆναι, vti recte obseruauit **VICTOR ANTIO-**

ANTIO-

ANTIOCHENSIS *Catena in Marcum Cap. XIV, 13,*  
apud TOYNARDVM *Harmon. in notis f. 151.*

## XXIII.

Observatio haec non exiguum accipit robur et fulcimentum ab anno Servatoris nostri emortuali, qui eius aetatis XXXIII. fuit secundum aeram vulgarem, et quo ἡ ἡμέρα σωτήριος incidit in feriam sextam, seu *diem Veneris*, qui eo anno XIV. Nisan fuit, quo exeunte paschalis agnus a Iudaea gente ex legis diuinae praescripto immolandus erat. In sabbathum incidebat XV luna festo paschali diuinitus destinata, qua incipiente agnus comedi solebat. Prouocamus ad calculum Astronomicum a viris scientiae sideralis peritis subductum, et a dissentientibus multoties accurate examinatum, qui tamen nullum vitium in eo ponendo admissum ostendere potuerunt. Eundem diem stabilit et confirmat dies Pentecostes, qui a festo paschali quinquagesimus est, et hoc anno omnium, cum veterum tum recentiorum auctorum, consensu, incidit in diem Solis. Si ab hoc festo retro numeres dies L. deprehendes, feriam Paschatis primam eo anno non in diem hebdomadae σωτήριου *sextam*, sed in *septimam*, siue in sabbathum incidisse. E contra si adfirmes diem Iouis, cuius vespera Servator agnum paschalem comedisse vulgo putatur, fuisse XIV. et sequentem diem Veneris fuisse XV mensis Nisan, seu primum festi paschalis diem, rationes temporis prorsus turbabis. Sequeretur enim, τὴν ἡμέραν πεντηκοστὴν non in diem Solis, sed in diem sabbathi incidisse, eodemque effusum esse Spiritum S. Act. II, 1. id quod perantiquae et communi totius ecclesiae Christianae traditioni, et consuetudini repugnat, quae festum Paschale inde a primis initiis semper die Dominica celebravit. Hoc argumentum LAMYVS in primis et TOYNARDVS copiose ac dilucide exposuerunt atque vindicarunt.

## XXIV.

Haecenus sequuti sumus Ioannem, cuius narratio tam certa est, quam perspicua et clara. Cum huius euangelistae fide haud difficulter conciliabimus ceteros euangelicae historiae conditores, qui nobis videntur aduersari, dum aiunt, eo die, quo Christus discipulos ad pascha parandum ablegauit, iam imminuisse τὴν ἡμέραν τῶν ἀζύμων, ἐν ἣ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Sed obserues, sermonem esse de die XIV. Nisan post aliquot horas initium sumturo, quo agnus paschalis lege diuina, ac vniuersae gentis consuetudine, immolandus erat. Hic dicitur dies azymorum non a comestione, sed a praeparatione. Ergo ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων Matth. XXVI, 17, et ἡ πρώτη ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυσον Marci XIV, 12. item ἡμέρα τῶν ἀζύμων, Luc. XXII, 7, est ἡ πρωτέρα ἡμέρα τῶν ἀζύμων, vel ἡ πρὸ τῶν ἀζύμων, *ea dies, quae est ante azyma*, hoc est, *tertia decima mensis Nisan*, die ad vesperam inclinante, interprete APOLLINARIO in *Catena Graeca ad Ioannem Cap. XVIII, 28*, apud TOYNARDVM *Notis ad Harmon. f. 149*. Nam dies azymorum duplici modo intelligi potest. Notat vel primam diem, qua apud Iudaeos azyma parabantur et habebantur; vel primam diem, qua apud illos azyma comedebantur. Si posteriori sensu nomen sumatur, erunt tantum azymorum dies septem Exod. XII, 15. Leuit. XXIII, 6. *septem diebus azyma comedetis*. Et prima illa festi dies erat ἀπραικτος, sancta et solemnis, perinde ac vltima, cum ipso sabbatho inter illos occurrente Exod. XII, 16. Leuit. XXIII, 6. 7. 8. Prioris illius diei initio pascha comedendum erat. Sin vero priori modo intelligatur, numerandi erunt dies azymorum octo, quemadmodum ex peruulgato receptoque Iudaeorum vsu eos numerauit IOSEPHVS *Libro II. Antiquit. Cap. XV. f. m. iiii. edit. nouae*, festum paschale ὀκτῶ ἡμέρας faciens: Ἐορτὴν ἀγομεν ἐφ' ἡμέρας ὀκτῶ, τὴν τῶν

τῶν

τῶν ἀζύμων λεγομένην, *festum celebramus per dies octo, quod dicitur azymorum.* Octo illorum dierum primus, nempe XIV Nisan dicebatur *Parasceue Paschatis*, cuius initio, vespere nimirum diei XIII post solis occasum, praeparatio paschatis incipiebat. Hauriebatur aqua, tota ea nocte domi adseruanda, ad panes azymos post solis ortum pinfendos. Eadem illa nocte fiebat *ביעור החמץ exterminium panis fermentati*, qui accensa candela cerea per omnes aedium angulos et recessus perquiri solebat. Idque fiebat inde ab ineunte nocte, *quam sequitur dies decimus quartus Nisan*, teste MAIMONIDE in *Tr. CHAMEZ VMAZZA Cap. II. §. 3.* vbi duplicem addidit rationem, *cum שביליהם מצויין בבתיים כל העם מציין בבתיים* quia noctu suae quisque domi est, tum quia *אור הנר יפה לבריקה* ad perquisitionem lucerna maxime est idonea. Equidem MAIMONIDES non dissimulat, illum morem *מרבירי סופרים* ex verbis, et ordinationibus ac statutis *sapientum* esse, non autem Deum habere auctorem. Sed quis dubitabit, quin ille ritus tempore Christi iam fuerit vsitatus, et apud Iudaeos receptus? Idem tradunt doctores Mischnici sub initium codicis *פסחים de paschate*, vbi *אור לארבעה עשר* lux quartae decimae diei summo Iudaeorum consensu, et hodierno etiam eorum ritu, est initium noctis, quae solis obitum post XIII diem Nisan excipit, et diei XIV. ciuili Iudaici initium ac pars est. Sub diluculum, vel orta luce, pinfebantur et coquebantur azyma. Circa meridiem omnia panis fermentati frustra ex vniuersa domo conquisita, et ea etiam, quae absoluto prandio supererant, igne comburebantur, ita vt nihil fermentati in vniuersa domo superesset. Ille, qui post meridiem, et post *ἐκκάθαρσιν τῆς ζύμης*, panem comedere volebat, azymis vesci cogebatur, quia alius non aderat. Nefas erat agnum paschalem mactare ante panis fermentati

fermen-

fermentati eiectionem, quod Hebraeus textus effert על חמץ  
*super pane fermentato* Exodi XII, 2, 6, Leuit. XXIII, 5,  
 Num. IX, 1. 3. 5, XXVIII, 16, Deut. XVI, 1. et 6. Facto  
 autem omnis fermenti exterminio ab hora illius diei *ter-*  
*tia pomeridiana ad quintam*, nostro numerandi modo, hoc  
 est בין הערביים *inter geminas vespervas*, siue inter sex  
 horas pomeridianas, immolabatur agnus in Templo, post  
 occasum solis ineunte XV die Nisan assandus, ac eadem ve-  
 spera cum azymis et herbis amaris comedendus.

## XXV.

Quibus obseruatis facile intelligitur, quaenam sit ἡ πρώ-  
 τη τῶν ἀζύμων ἡμέρα a Matthaeo, Marco, et Luca comme-  
 morata, nempe octo dierum azymorum prima, hoc est, dies  
 XIV Nisan, festi paschalis parasceue, ἐν ἣ ἔθει θύεσθαι τὸ πά-  
 ρα, *in qua oportebat pascha*, non quidem manducari, sed  
*immolari*; nequaquam autem festum paschale ipsum, siue  
 dies XV Nisan, qua agnus pridie maclatus edebatur. Nam  
 in illa azymorum prima, de qua illi euangelistae loquuntur,  
 maclandus erat et rite praeparandus. Quando igitur disci-  
 puli Christum adibant, erat adhuc vespera diei XIII Nisan,  
 qua exeunte, et sole occumbente, demum incipiebat dies  
 XIV, sub cuius initium agnus paschalis nec maclatus erat,  
 nec assari et comedi poterat a Christo et eius satellitio.  
 Neque enim legimus, discipulos eo die in templo fuisse, agni  
 maclandi causa, aut nocte antecedente cameram expurgas-  
 se a fermento. Communis igitur illius vesperae coena fuit,  
 quam epuli Dominici institutio, Christi ex vrbe egressio, et  
 eius apprehensio secuta sunt. Quae omnia πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ  
 πάρα, vespera videlicet illa, qua τὸ νυχθήμερον τῆς παρασκευῆς  
 incipiebat, contigisse Iohannes Cap. XIII, 1. tam clare narrat,  
 vt nullus relinquatur dubitandi locus. Iuda ex illo conuiuio  
 exeunte quidam discipulorum opinabantur, illum iussu Do-  
 mini

mini



mini exiuisse, vt tanquam oeconomus, commune administrans aerarium, ea compararet, quae opus habebant ad festi-  
 celebrationem. Ergo futurum demum erat festum, et tunc  
 nondum existebat, nec celebrabatur. Nostra opinione fa-  
 muli Seruatoris agnum paschalem, proximo die vescendum,  
 coeperunt praeparare, sed Dominus hostium crudelitate im-  
 peditus, illum non comedit, quia XIV Nisan ei *σαυρώσιμος*, et  
 emortualis fuit. Post vesperam equidem prioris diei cum  
 discipulis discubuit, nec dissimulauit, magno quidem deside-  
 rio se flagrasse, vltimum hocce pascha legale, craftino videlicet  
 die, more gentis cum suo sodalitia adhuc comedere ante suam  
 perpeffionem et mortem. Verum obstante Iudaeorum furo-  
 re, quo minus id fieri possit, velle se nunc instituire pascha no-  
 uum, antitypicum et euangelicum, quod in regno Dei, sua  
 morte inchoando constituendoque, in locum paschatis le-  
 galis et veteris substituere velit. Quibus dictis accepit pa-  
 nem et calicem Luc. XXII, 17. Idcirco quidam veteris ec-  
 clesiae doctores sacram eucharistiam appellarunt *pascha*, apud  
 IS. CASAVBONVM Exercit. XVI. num. LIII. p. m. 416. Plu-  
 ra vide *in mearum Obseru. P. I. Cap. LII*, vbi hanc coniectu-  
 ram ex instituto exposui, et idoneis rationibus communiui.

## XXVI.

In praesenti tractatione huius opinionis ostendimus  
 vsum, qui egregius est, et peraccommodatus, ad commenta  
 aduersariorum refellenda, quibus velut cuniculis vfi sunt ad  
 sacramenti nostri dignitatem, et realem carnis ac sanguinis  
 Christi in S. eucharistia praesentiam euertendam. Falsissi-  
 mum quippe est, quod dissentientes tam impudenter adseue-  
 rant, Christum, sumto ex apparatu Iudaeorum paschali ritu  
 et formula, suae redemptionis beneficium, siue peccatorum  
 nostrorum expiationem sua morte factam, nobis in memo-  
 riam tantum reuocare, et *σημαντικῶς* dumtaxat repraesentare  
 voluisse. Haecenus satis, vt opinamur, ostendimus, hanc

E

sen-

sententiam valido non inniti fundamento, nec ullam verisimilitudinis speciem habere. Nam Seruator diferte docet, se medium gratiae, vsque ad mundi excidium duraturum, condidisse in hominum salutem. Pollicetur gratiose, velle se, quoties fideles hoc sacramento recte vterentur, reali praesentia fumentibus exhibere cum pane consecrato suum corpus in mortem traditum, et in vino suum sanguinem pro generis humani expiatione effusum. Haec sunt Seruatoris verba nullis confictis, aut adscriptis scholiis, corrumpenda: *Τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου.* Vbi obserues, propositionem esse exhibitivam, in qua loco *subiecti* sunt continens et contentum in sensu generali et confuso. *Praedicatum* determinat rem contentam in specie, e. g. *Hoc*, scilicet vinum, cui medicamentum est infusum, *est medicina.* Ita *τοῦτο*, id est, *τὸ ἐδιδόμενον σὺν, vel ἐν τῷ ἄρτῳ ἐστὶ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ,* et iterum, *τοῦτο*, id est, *τὸ πινόμενον σὺν οἴνῳ ἐστὶ τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ,* siue *τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης, sanguis, quo N. T. sancitur.* Vbi tamen excludimus et *συνεσίαν*, siue *impanationem*, seu localem corporis Christi eucharistici in pane inclusionem, nec non *συσσωμάτωσην*, *Consubstantiationem*, seu duorum corporum coniunctionem localem, vel duarum substantiarum in vnam tertiam confusionem, ab aduersariis nostrae ecclesiae toties periniquè obiectam, et a CHR. THOMASIO Reformatis, eorumque in primis proceribus, more suo adulaturo, in *Cautelis circa Praecognita Iurisprudentiae P. I. Cap. XIX. §. 15. p. 324* inuidiose repetitam, quam calumniam nostrates, singulatim B. BAIERVS et FEVSTKINGIVS peculiaribus Dissertationibus ex instituto confutarunt. Sententiam nostram, ex perspicuis Christi in mortem ituri verbis haustam, praeter euangelistas confirmat Paullus, vir *θεόπνευστος*, et Christi legatus, qui *mentem eius tenebat* 1. Cor. II, 16, et *Spiritum Dei habebat* 1. Cor. VII, 40, panem vocans *κοινωνίαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ.* Quod si autem panis in vsu sacramentali

tali

tali, seu ipso actu δόσεως et λήψεως, est medium communicandi corpus Domini, sequitur et hoc ipsum in coena substantialiter adesse, et eodem organo, quo ipse panis, a dignis et indignis conuiuis sumi.

## XXVII.

Eadem fuit veteris ecclesiae fides. Sic I G N A-  
TIVS Antiochenus nonnullos exclusit ecclesiae societate  
διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν εἶναι τὴν σάρκα τοῦ σωτῆρος  
ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθῆσαν, teste  
THEODORETO *Dialogo III. T. IV. Operum f. 154.*  
Exstat hoc testimonium martyris sanctissimi in epistola ge-  
nuina *ad Smyrnaeos §. VII. f. 37.* editionis COTELE-  
RII. Illius igitur aetatis ecclesia s. eucharistiam pro vera  
Christi carne habuit. Idem Philadelphenos *in epistola*  
*§. IV. f. 32.* hortatur, *μια εὐχαριστία χρῆσθαι, ut una eucha-*  
*ristia utantur.* Additur ratio: *μια γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν*  
*Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐν ποτήριον εἰς ἔνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, una*  
*enim est caro Domini nostri Iesu Christi, ut unus calix in*  
*vnitatem sanguinis ipsius.* Nihil poterat dici nostrae do-  
ctrinae magis consentaneum. Asseritur non tantum cor-  
poris et sanguinis Christi praesentia realis in S. Coena, sed  
ostenditur etiam idem illius praesentiae modus, quem no-  
stra ecclesia profitetur, et qui in vnione corporis ac san-  
guinis Christi sacramentali cum pane ac vino consistit, dum  
*ἐν ποτήριον εἰς ἔνωσιν τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ commemoratur.*  
Suffragatur IVSTINVS, philosophus ac martyr, docens,  
*se S. Eucharistiam sumere ἕκ ὡς κοινὸν ἄρτον, εἰδὲ κοινὸν πόμα,*  
*non ut communem panem, neque ut communem potum, sed*  
*se se edoctos esse, illud eucharistiae sacramentum τοῦ σαρκοποιη-*  
*θέντος Ἰησοῦ καὶ σὰρκα καὶ αἷμα εἶναι, Iesu incarnati et car-*  
*nem et sanguinem esse, Apolog. I. pro Christianis §. LXXXVI.*  
*p. 128.* editionis Grabianae, Oxoniae excusae. Sic S. IRE-  
NAEVS, Lugdunensis in Gallia antistes, et Apostolicis

temporibus proximus, S. Eucharistiam descripsit ἐκ δύο πραγμάτων συνεσηκύσαν, *ex duabus rebus constantem*, videlicet ἐπιγείστε καὶ ἑραίνου, *terrena et coelesti*, Libro IV. cap. XVIII. f. 250. editionis REN. MASSVETI, qui dissertatione *tertia* §. VII. f. 113, haec verba per se satis clara offuscare, et monstrosum μετασίαι commentum inde probare non erubuit, a nobis in vindiciis pro S. IRENAEO scriptis confutatus. Aetate TERTVLLIANI ecclesia vniuersa censebat, *corpus Christi in pane eucharistico esse*, de Orat. cap. VI. T. I. Op. p. 151. In hanc ecclesiae primitiuae sententiam, verbis admodum perspicuis declaratam, exponi debent alia Patrum loca paullo obscuriora, quae ARNALDVS et Card. PERRONIVS pro sua μετασίαι, ac symbolorum commutatione, nec non Reformati EDM. ALBERTINVS, IO. CLAVDIVS ac MATTH. LARROQVANVS, aliique, realem corporis et sanguinis Christi in S. Coena praesentiam negantes, pro sua opinione munienda ornandaque allegare solent. Vix enim veterum doctorum testimonia de S. Coena inter se conciliabis, nisi Aug. Confessionis inuariatae sententiam adoptes, et secundum illam phrasas in Patrum scriptis extantes exponas, id quod multi Reformatorum ingenue falsi sunt, PETRO BAELIO teste. (\*) V. *Nouvelles de la republique des lettres* anno MDC LXXXVII. mense Februar. artic. II. p. 130. et 131. Integrum locum et Gallicis et Latinis verbis exhibuit Cel. PFAFFIVS in *Diss. de Consécratione veterum eucha-*

(\*) L'hypothese de la Confession d'Augsbourg est préférable à toutes les autres pour ce qui est de donner raison des phrases de l'antiquité. - - L'on accordera aisément ensemble tous les termes durs, empoullés, hyperboliques, simples et naïfs, qui se trouvent dans les Pères au sujet du S. Sacrement, pourvu qu'on suppose, qu'il y a là tout à la fois l'humanité de J. Chr. & la substance du pain.

*eucharistica*, fragmentis anecdotis IRENAEI addita  
§. XVIII. p. 473.

## XXVIII.

Hanc fidem vetus ecclesia diutissime tenuit illibatam et incorruptam, quemadmodum ex antiquis monumentis, et singulatim ex eorum Liturgiis perspicue apparet. Sic in Liturgia, quae IO. CHRYSOSTOMO vulgo adscribitur, sacerdos symbola consecraturus, orat: *Attende Domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto habitaculo tuo, ei de throno gloriae regni tui, καὶ καταξίωσον τῆ κραταιᾶ σου χειρὶ μεταδῆναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματος σου, καὶ τὸ τίμιον αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ, et dignare tua potenti manu tribuere nobis immaculatum corpus tuum, et pretiosum sanguinem, et per nos omni populo, apud GOARVM in Eucharologio f. 81, qui in Notis f. 145. obseruat, hanc orationem non CHRYSOSTOMI, sed BASILII esse, vt ex eius Liturgia, et ex testimonio AMPHILOCHII in eam relato, constare possit. Quidquid sit de auctore, memorabile sane est hoc primitivae ecclesiae testimonium, quo non tantum realis corporis et sanguinis Christi praesentia in S. Coena asseritur, sed et fundamentum monstratur, ac ratio, cur Christus praesens adest, et carnem ac sanguinem suum vere exhibere possit, quia *sedet a dextris Dei, et potenti manu omnia gubernat.* Ibidem f. m. 82. Diaconus sacrum epulum a sacerdote sumpturus, rogat: *Da mihi, Domine, τὸ τίμιον καὶ ἅγιον σῶμα τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ;* et sacerdos in manus S. eucharistiam ei antiquo ritu tradens, respondet: *μεταδίδωμί σοι τὸ τίμιον καὶ ἅγιον καὶ ἀχράντον σῶμα τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιῶν σου, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, trado tibi pretiosum et sanctum et impollutum corpus Domini et Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Consentiant aliarum ecclesia-*

rum Liturgiae, etiam eorum coetuum, qui a Graecis ante hos mille annos et amplius, secessionem fecerunt. Sic in Liturgia S. Matthaei, qua Aethiopes vtuntur, sacerdos S. eucharistiam sumpturus, et distributurus, ait: *Hoc est corpus sanctum, pretiosum et vitale Domini et Saluatoris nostri Iesu Christi.* Et deinde porrecto calice: *Hic est sanguis Domini et Saluatoris nostri Iesu Christi sanctus, honoratus et viuificans.* Vere hoc est corpus, et hic est sanguis Emanuel Dei nostri, Amen. Tandem ne vllus dubitandi locus relinquatur, subiicitur tertia formula in praebenda S. eucharistia apud Aethiopes vsitata; *Hoc est corpus, et hic est sanguis Domini et Seruatoris nostri Iesu Christi, quod, et quem adsumsit ex Domina nostra sancta et immaculata virgine Maria.* Ita etiam in Liturgia S. BASILII Coptica in ecclesiis patriarchatus Alexandrini, et apud Aethiopes, percelebri ac vsitata, sacerdos sacrum epulum sumens et distribuens ait: *Corpus sanctum, et sanguis pretiosus, purus, verus Iesu Christi, filii Dei, Amen.* *Corpus et sanguis Emanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate, Amen.* *Credo, credo, credo et confiteor, usque ad extremum vitae spiritum, hoc esse corpus viuificum filii tui vnigeniti Domini Dei et Saluatoris nostri Iesu Christi.* Haec de vera et reali corporis atque sanguinis Christi in S. eucharistia praesentia confessio, quae κατ' ἐξοχήν vocatur ὁμολογία, vocabulo graeco etiam in Liturgia Coptica retento, EVSEB. RENAUSDOTIO tam perspicua, et indubitata videtur, vt nulla toto orbe ecclesia vnquam fuerit, aut sit, in qua sacerdotes et laici luculentius de sacratissimo illo mysterio testimonium dedisse reperiantur, in Commentario ad Liturgiam Copticam S. Basilii p. 271. RENAUSDOTIVS haec verba trahit ad probandam Transubstantiationem Pontificiam. Sed hoc commentum, quod vetus ecclesia ignoravit, nullum praesidium hic inuenire, nemo non videt.



VIRO IUVENI CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE  
DN. IO. CHRISTIANO MULLERO,

Artium liberalium et Philosophiae Magistro, eximioque  
sacrarum literarum cultori,

S. P. D.

PRAESES.

**S**acrarum literarum cultores ad publicum docendi munus digne et cum fructu aliquando obeundum sese praeparaturi, ut pietate et precibus diuinam opem implorare, ita et diurna nocturnaue lectione atque meditatione animum salutari doctrina imbuerent, ac idoneis praesidiis, ad diuiniora oracula recte elucidanda necessariis, sese munire debent. Necesse igitur est, ut ipsos inuestigent fontes, tam Hebraeos, quam Graecos. Ex illis enim veritas coelestis purius, quam ex versionum riuulis hauritur. Nec aliunde feliciter refelluntur dissentientes. Disci igitur debet genuina Scripturae interpretandae, et ad auditorum usum applicandae ratio. Nec negligi possunt veterum populorum, ac Hebraeorum praesertim, instituta, mores et ritus, ex genuinis et vetustis tabulis exprimendi. Praeterea dandum est nonnihil operae cum veterum, tum recentiorum Philosophorum placitis, rite cognoscendis, et quaestionibus Theologicis caute applicandis, nec non disciplinis externis, perinde ac historiae tam profanae, quam sacrae, ut ecclesiae fata, eorumque nexum cum rebus in ciuitatibus gestis, accuratius inspiciamus, et prudentiam pastorem, coetuum sacrorum rectoribus pernecessariam, nobis comparemus. Unde haud difficulter intelligitur, sacrarum literarum studiosos in  
Acade-

*Academiis commorantes, non turpi otio, non pravis  
sodalitiis, lusibus, et genio indulgere, sed aetatis flo-  
rem, et omne tempus, quo nihil est pretiosius, redime-  
re, et pietatis exercitiis perinde ac studiis impendere  
oportere. Quo plures hacce tempestate suo officio de-  
sunt, eo maiori laude TE ornandum esse puto, CL.  
DN. MAGISTER, qui semper, ex quo in hanc Acade-  
miam, non in celebrem optimarum literarum mercatu-  
ram, accessisti, et meo hospitio, ac quotidiana institutio-  
ne publice priuatimque usus es, id dedisti operam, ut,  
procul desidia et pravis moribus, eam vitae studiorum-  
que eligeres, constanterque teneres rationem, qua sco-  
pus omnium optime obtineri potest. In euoluendo utro-  
que Scripturarum codice, Hebraeo et Graeco, quotidie  
TE occupatum vidi. In praelectionibus mihi non tan-  
tum, sed et aliis Doctoribus assidue adhaesisti. In exa-  
minibus et literariis velitationibus, priuatos inter  
parietes institutis, per saepe palam declarasti, quam  
egregium variae doctrinae TIBI collegeris appara-  
tum. Post lauream a Sapientum Ordine nuper non si-  
ne applausu impetratam, nunc, me duce, in publicum  
prodis, per eximium facundiae et eruditionis speci-  
men editurus. Ego TIBI gratulor, TEque hortor,  
ut hanc virtutis viam, quam huc dum tenuisti, nun-  
quam deseras, sed PLVRIMUM REVERENDI  
PATRIS TVI vestigiis perpetuo insistas. Ita non  
solum parentum gaudium, et familiae eris ornamen-  
tum, sed et ecclesiae, cuius saluti destinatus es, egre-  
gium aliquando euades columen ac fulcimentum. Li-  
psiae d. V. Idus Aprileis M DCC XXXIV.*

\* \* \*

*Coll. diss. P. 26, misc. 20*